



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo**

**Scheffer, Johannes**

**Francofurti, 1671**

Cap. IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13156**

*Per diminutionem.*) Hoc nemo demonstraverit. *Quodlibet Duabus rotis.*) Imò quatuor, quod jam docui. (per se est.

## Cap. V.

*Pro carpento.*) Hoc verò nusquam legi haecenus.

*Quae instituuntur oblectationis gratia.*) Etiam hoc est falsum. Non ad oblectationes pertinebant, verum sacra.

*Qui dicti sunt Armamaxi.*) Putavit, aurigarum esse hoc vocabulum. Et repetit inferius, cap. 23. At nulli apud veteres armamaxi, verum harmamaxæ, Græcis ἀρμάμαξαι, nec homines, sed vehicula. Neq; aliud Tertullianus voluit, quod alibi ostendi.

## Cap. VI.

*Biroton.*) Docet & hic locus, Græcarum litterarum imperitiorum Ligorium fuisse. Nam birotum non est Græcum, verū βύτρονον.

*Bigæ, quadrigæ.*) Nunquam hæc vehicula birota nuncupata. Birotum enim ad portanda onera spectabat, non sic bigæ quadrigæve.

*Deipanetta.*) Quid hoc sit vocabuli, fateor me ignorare.

*Duodecim aliquando.*) Hoc verò frustra dicitur, nec ex ullo veterum probari poterit vel verbulo.

## Cap. VII.

*Burdonum.*) Falsissimum hoc est. Burdones equi fuerunt, vel muli, quod prolixè nobis etiam post alios est demonstratum.

## Cap. VIII.

*Camulon.*) Etiam hoc falsum. Camulon nihili est vocabulum, & ignotum Græcis pariter ac Latinis. Chamulcum habes apud Ammianum, sed pro alio prorsus genere.

*Sicut apud Græcos camula dicitur herba.*) Camulam herbam nullam scio. Chamælæam reperio, sed eanil hue facit. Alias est χαμηλὸς quibusdam, quod Latinis *humilis*. An hoc respexerit, ignoro.

## Cap. IX.

*Vehiculi, hoc est, carri.*) Imò verò equi, muli, asini, vel hominis, quod ostendi capite de clitellis.

*Seētabere canthum.*) Liqvet, *canthum* & *cantherium* habuisse pro eodem, quod haud magnam eruditionem arguit.

*Covinus pars currus.*) Imò integrum, suiq; generis vehiculum, quod ipse in sequentibus fatetur.

Secunda-

*Secundarias quasdam habenas.*) Totum hoc est commentitium. De habenis observavit, quod & nos ostendimus, trajici per annulos consuevisse. Sed fuerunt illæ habenæ ordinariæ, nec annuli in capsâ, verum iugo, quod abunde monstravimus.

## Cap. X.

*Combatus.*) Omnia hæc falsa sunt, & inepta, & vox ipsa prorsus ignota classicis scriptoribus.

*Comba, quod lecticam.*) Hoc ex cubandi vel accumbendi voce arbitror collegisse. At *comba* veteribus, quæ & *cumba*, & *cymba*, navigium, non lectica, quod in libris nostris de Militia Navali demonstravimus.

*Vox est lingue Sabine.*) Hæc vero ficta sunt à nostro, neq; usquam apud veteres leguntur.

*Apparet ex antiquis monumentis.*) Supra jam optavimus ab amantibus antiquitatis ista publicari, quod hic repetimus.

## Cap. XI.

*Sulpitius Gallus.*) Hunc ego Sulpitium Gallum penitus ignoro, neq; visum hætenus, aut in lucem datum arbitror.

## Cap. XII.

*Comitatus semper Marco Antonio.*) Nihil tale apud Plutarchum legas. Antonium Roma profugisse ad Casarem scribit ἐπιπεδίων ζευγών, quod non video, quid huc faciat.

*Curricula.*) Feminino genere non legi hætenus, quod sciam.

*Curritius.*) Penitus ineptum etiam hoc vocabulum existimo.

*Propterea Cicero.*) Nil ex hoc Ciceronis loco colligas ad confirmandum, quod præcedit. Imo curriculum ibi non vehiculum est, sed spatium currendi, quod cuivis mediocriter perito apparet.

*Ut testatur Plinius.*) Lib. VII. cap. 20. Sed ibi nihil tale, tantum ait, *nocte ac die longissimum iter vehiculis tribus emensum.*

## Cap. XIII.

*Panem & palma.*) Scribe, *panem & palmulas*, sic enim hebet Suetonius cap. 26.